



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

181. An necessarium, & de forma, per edictum publicum fieri vocationem omnium, quotquot examinari volunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

decisivum super approbatione, vel reprobatione examinatorum, ita ut sic formaliter interveniente, vel uno non synodali (secus est de interveniente solum materialiter, verbi gratia, pro assentientia Episcopi absque examine, & qualiter frequens praxis docet, quod ipso Episcopo praesente, interveniat quoque ejus Vicarius generalis, ac etiam Cancellarius, alique officiales vel familiares; quin & interventum hunc, nam dum ab iis ad majorem aliquam Episcopi satisfactionem fiunt interrogationes aliqua examinandis, & peracto quoque examine eorum iudicium in forma discursiva, vel consultiva profertur, prodesse potius experientia sua testatur de Luca *ad Trid. d. 32. n. 13.* ad occurrendum nimirum aliquando collusionibus & machinationibus examinatorum etiam hi audeant tam facile reprobare, quos constat se bene gefisse) vitietur actus, vide & hoc punctum fuse roboratum à Corr. *l. 3. c. 3. à n. 32.* Habito examine super literatura (cujus examinis varius est stylus pro examinatorum arbitrio, laudabiliorem & frequentiorum Card. de Luca. *de paroch. d. 32. n. 18.* dicit illum, ut singuli separati interrogentur super iisdem) & inquisitione ac ponderatione super vita, moribus, prudentia, aliisque muneribus parochiali congruis referendum Episcopo, quos dignos seu idoneos approbent, quos indignos reprobent, ut ex iis, qui cum majore suffragiorum parte inter candidatos seu approbatos fuerint adscripti, Episcopus illum praeligat, quem magis idoneum credit; ac demum ubi ad ejus liberam provisionem collatio spectat, faciat illam praelecto; ubi verò spectat ad Papam ex reservationis alteriusve affectionis causa, testimoniales literas det praelecto ad obtinendam in vicarum provisionem Apostolicam; veletiam, ubi provisio ad alium inferiorem spectat, similes literas ad hunc directas concedat praelecto, ita ut provisio ad dictum praelectum restringatur. Ita ferè citatus C. de Luca. Advertit circa hac Less. *l. 2. c. 34. n. 85.* multa ex his passim non esse recepta; quamvis merito omnia recipi deberent, unde ibi irrita non sunt collationes, non facta secundum hanc formam. Advertendum etiam est ad ipsa postrema verba *cit. c. 13. Trident.* licebit etiam synodo provinciali, si qua in supra dictis circa examinis formam addenda, remittendaque esse censuerint, providere. Atque cum ex his constet provisionis parochialium formam consistere, potissimum in concursu rite instituendo pro majore doctorum elucidatione.

Quaestio 180. An nominatio & vocatio plurimum ad examen sit de forma concursus, ita ut si de uno tantum facta sit quantumcunque idoneo, concursus sit nullus?

Respondeo affirmative: requiri enim pluralitatem pro forma, satis indicant verba illius Concilii: Idoneos Clericos nominet. Lott. *loc. cit. n. 52.* ubicunque autem pluralitas pro forma requiritur, nunquam resolvitur in singularitatem; juxta Tiracq. *ad l. si unquam, l. de revocat. donat. num. 252.* & Bald. *l. 5. consil. 403. n. 3.* unde etiam ut Lott. *n. 56.* si ex pluribus oppositoribus unus tantum fuerit examinatus, & approbatus, concursus redditur suspectus juxta decis. 1148. *n. 5.* apud Seraph. Porro si plures se opposuerint & descripti sint, omnes debere examinari, vel saltem ad examen singulariter vocari, ait Lott. *n. 54.* eò quòd ubi est certus, vel

certi oppositores, non sufficit vocatio per edictum, sed exigitur singularis vocatio.

Quaestio 181. An necessarium, & de forma per edictum publicum fieri vocationem omnium, quotquot examinari volunt?

Respondeo: hanc vocationem per edictum publicum esse in arbitrio Episcopi aut synodi provincialis pro more regionis. Lott. *l. 2. q. 31. n. 46. & 47.* Garc. *p. 9. c. 2. n. 36. & seq.* contra Zerol. *in praxi Ep. p. 1. V. parochia. s. 2. d. 2.* & Zechum *de rep. Eccl. c. 28. de paroch. num. 6.* putantes edictum publicum esse de forma ex constit. Pii V. eum tamen dicat Conc. *cit. c. 18.* expresse: Episcopus verò, qui jus patronatus habet, intra 10. dies vel aliud tempus ab Episcopo praescribendum, idoneos aliquos Clericos coram deputandis examinatorebus nominet: liberum tamen sit etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre &c. Et dein subditur: etsi Episcopo aut synodo provinciali videbitur magis expedire per edictum publicum vocentur, qui volunt examinari, &c. Unde jam liberum est Episcopo absque tali edicto nominatos à se vel ab aliis delatos singulariter vocare; & hæc est vis dictæ clausulæ: si videbitur. Menoch. *de arbit. l. 1. q. 8. n. 2.* porro, si synodus provincialis ita statuit, servandum est, & vocatio facienda per edictum publicum. Garc. *n. 36.* & sic habet declaratio S. Congreg. apud illum *ibidem n. 37.*

Quaestio 182. Quinam in specie ad concursum admittendi, aut ab eo excludendi?

1. **R**espondeo primò: Episcopus admittere nequit ad concursum habendum pro parochialibus vacantibus per resignationem factam in manibus suis, consanguineos, affines vel familiares, tam suos aliorumque collatorum, quam resignantis, idque vi Bullæ Pii V. editæ super resignatione beneficiorum: sic habet declaratio S. Congr. quam vide apud Corr. *cit. l. 3. c. 4. n. 10.* Et Garc. *c. 20. n. 207.* contrarium est, dum parochia vacant per obitum; sive vacant in mensè Ordinario sive Apostolico. Garc. *loc. cit. n. 212.* Corr. *loc. cit. n. 11.* citans quoque desuper Rotæ decisionem, ac testans, se vidisse desuper literas Card. Lancellotti tunc praefecti S. Congreg.

2. Respondeo secundò: Rector Ecclesiæ alicujus parochialis, aut alterius beneficii curati de jure non impeditur, quo minus possit admitti ad concursum pro altera parochia vacante; nec est in potestate Episcopi illum non admittere. Lamb. *p. 1. l. 2. q. 7. a. 5.* Garc. *p. 9. c. 2. n. 207.* Corrad. *loc. cit. n. 12.* citantes pro hoc clarè S. Congreg. declarationem. Quin etiam valere non videtur constitutio synodi Diocesanae vel provincialis, quæ statueretur, ne habens beneficium curatum, admittatur ad concursum pro alio curato intra 3. vel 4. annos Corrad. *ibid.* Garc. *n. 209.*

3. Respondeo tertio: qui elapso termino edicti re adhuc integrè, hoc est, examine pro concursu necdum habito, comparet, petitque admitti ad examen, potest & debet admitti. Corr. *l. 3. c. 4. n. 23.* Garc. *n. 206.* citatque uterque clarè desuper declarationem S. Congreg. manu Card. Matthæi subscriptam, quæ adducta, idem resolvit Rota *in una Calguritana portionis 22. Aprilis anno 1602. coram Ortembergo* apud Garc. additque insuper rationem; quod nimirum

mirum